


BIBLIOTEKA


Zakl. Načim. Osolláskich

XVI

2753

AF





ANNOVA
TVRCICA
GALLICA.
POLONICA.
DANTISCANA.

48

13



ANNO
M. D. XCIII
Mense Octobri.

11.086

P O L O N I C A

1592.
17. Noue.

1593.
Majo.

13. Maij.



SIGISMUNDUS Poloniae rex, Sueciae regnum, morte patris, superiori anno, hereditate ad se delatum, aditurus; in comitijs regni Poloniae ordinibus, consilium ac institutum suum, exponit, & se iuari publica contributione petit. Senatores, etsi in Polonia Regem manere, & officium suum administrare maluissent; tamen, si intra unius anni & mensis spacium, constitutis in Suecia rebus, ad Polonos rediret, & reliquum vitae tempus apud ipsos deinceps exigeret; abeundi facultatem ipsi praebebant. Nuncij terrarum seu Nobilitatis, per marescalcum, Regi, primum de filia biduo ante nata gratulati, diutius a rege institutum iter differri, & pericula regno, absente capite imminencia, auerti orant. eumque Iurisiurandi, quo se Poloniae regno obstrinxerat, subiectissimè admonent. His nomine Regis Cancellarius Zamoiscius respondet, se etsi idem cum reliqua nobilitate sentiat, tamen nunc, non ut senatorem, sed Regium ministrum, Regis declarationem ipsis indicare. Regem enim, quod semel coronae iurauerit, Regia fide praestitutum, & donec in his terris viuat, apud ipsos manere decreuisse. Etsi enim necessariam proficiscendi in hereditarium Sueciae regnum causam habeat, quam in pactis conuentis cum hoc regno, sibi reseruauit; tamen, constituto tempore in Poloniam redire & perpetuò apud eos durare velle. Petere igitur Regem, ne intempestiuè eum retinendo ac procrastinando, Regni ipsius hereditarij negotijs detrimentum aliquod adferant. Iisdem

Iisdem diebus, Cæsaris Rodolphi legatus, baptis-
mi infantis Regiæ testis futurus, aduenit .qui pub-
licè à Rege, præsentè magno Senatorum & Nobili-
tatis numero auditus, in initio, Regis Sueciæ patris obi-
tum deplorauit, & de successione in regno paterno,
regi Sigism: gratulatus est. Deinde, Maximilianum
fratrem, per legatos, de Beutinensi transactione Iureiu-
rando confirmanda, denuò admonitum esse, eumq;
si contra regnum Poloniæ aliquid moliri vellet, à Cæs.
M. non adiutum iri ostendit. Hortatur regem &
Senatores, ne rumoribus hominum maleuolorum, de
practicis insidiosis Coronæ Polonicæ structis; fidem
habeant. Proficisci hæc ab ijs, qui priuati commo-
di causa Rempublicam & administrationem Regiam
turbare cupiant. Postremò, Senatores regni, nomi-
ne Cæsaris clementissimè salutatur, & omnia Reipubli-
cæ & ipsius salutaria precatur. Huic nomine Regis,
Tarnouius Vicecancellarius; nomine Senatorum, Ba-
ranouius episcopus Plocensis, responderunt. Sed
cætera huius conuentus negotia volens omitto.

Rex, constituta Poloniæ Gubernatione, cum regi-
na, & sorore, Nauium VVarfauia ingressus, per
Vistulam fl. quingentorum Husaronum præsidio sti-
patus, in Prussiam secundo flumine descendit, &
paucos dies Toronæ & Mariæburgi moratus. DAN-
TISCum, 4. Augusti Iuliani ingressus est. Vbi men-
sem integrum desidens, ex consiliarijs terrarum Prus-
siæ & alijs, IVDicium constituit, in quo controuersia
terrarum Borussiae cognita deciderentur. Tornæ ac
Elbingæ, Tempora primaria, Pontificijs adjudicata
sunt. A Senatu Dantiscano, episcopus Vladisla-
uensis, Hieronymus Roseradzeius, origine comes

20. Maij.
Iulianij.

à Pomersdorff, summa contentione ac importunitate Templum Marianum flagitauit, & omnino cum Rege Missam in eo templo Dominica Christi lachrymantis ob interitum suæ gentis, celebrare decreuerat. Sed dehortantibus regem, tum alijs, tum verò Turone quodam legato regni Sueciæ, qui Suecorum etiam animos, violenta hac Religionis mutatione offensum iri monebat: controuersia illius decessio à ludicibus ad comitia regni reiecta est. Anna soror Regis, confessioni Augustanæ adiuncta, templi Mariani concionatores M. Conradum Brakermannum, & M. Michaelem Coletum, ad se vocatos, aliquoties docentes audiuit. Tandem rex multorum controuersijs diiudicatis, omnia in vrbe tranquilla, & in pristino statu relinquens, ad Vistulæ ostium descendit. Nauium ingressus, cælo sereno, ac vento secundo: postridie, 30. Aug. Iuliani. 6. Septe. reflantibus aquilonibus, in sinum ad oppidum Heil relatus est. vbi factis ancoris, Prætoria cum paucis alijs, octiduum substitit. plures ad ostium Vistulæ redierunt. 14. Septe. Tandem die exaltatæ ab Heractio crucis, denuò Rex, cum tota classe, spirantibus austris vela committens, in Suetiam transmisit, & Stocholmiam, regni metropolin, quæ 80. Germanicis miliaribus Dantisco abest, saluus & incolumis peruenit.

Dum Dantisci rex defedit, omnia Dei beneficio pacata & tranquilla in vrbe fuerunt: excepto vnico tumultu, cui causam, Poloni cuiusdam nobilis minister præbuit, obuium in foro, ad Libripendis eedes, baiulum, qui cum onere præteriens eum fortè attigerat, vel cedere ex via iusserat, acinace grauiter vulnerans, & ceteros eiusdem conditionis, quorum magna ad Libræ domum frequentia esse solet, violentiam illius reprehendentes simili audacia

facia adorientis. Pluribus autem ut fit, ad rixam concurrentibus, octo decemue Poloni ex proximis ædibus armati, baiulos inermes, fustibus tamen & saxis se defendentes, lethaliter vulnerant, & foro pellunt. Confestim clamor de Polonorum violentia & cædibus, passim in vrbe dissipatur. Ciues armati vndiq; in forum, paulò ante desertum, confluunt, & Polonos reprimunt. Qui cùm se inferiores viderent, è fenestris vicinarum ædium globos in ciues eiaculantur. Ciues vicissim in Polonorum hospitia bombardas emittunt, ac tres quatuorue globi in Regiam domum euolarunt. Accersitur à Polonis præsidium Regium. Equites Vngarici, in suburbio, cui à longis hortis nomen est, collocati. Quos iam accurrentes, Motlauæ pons penulis subito leuatus, commodè exclusit. sic ingenuiuium cædes auersa est. Interea consules & Senatores aliqui, non sine vitæ discrimine, in vulgus armatum profiliunt, & ciues monendo, rogando, grauius appellando, tandem, Polonis è conspectu illorum se subducentibus, tumultum sedant: cùm 23. interfecti, plures 50. vulnerati essent. Portæ vrbis per biduum clausæ, donec primus autor tam tristis Tragediæ, Polonus quidam inuentus, & custodiæ traditus est. Inprimis verò, qui in hospitium Regium globos eiecissent, diligenter inquisiti, & per Tubicines premium indici, centum Vngarici promissi; conscios autem & dissimulantibus, si patefierent, paracum autoribus supplicium, denunciatum est.

GALLICA

Carolus Maiennæ dux, ordinum regni Galliæ, cum Romano pontifice & Hispaniæ regē, prætextu Religionis Catholicæ Romanæ in regno Galliæ tuendæ, aduersus Henricum III. Galliæ & Nauarræ regem, confœderatorum Dux & caput; conuocatis initio huius anni, ex singulis Regni prouincijs, trium ordinum legatis; de Republica, miserabili hoc bello intestino, tandem liberanda, & Franco catholico rege designando, proposuit. Ordines congregati, primùm principes Regij sanguinis, officia coronæ publica gerentes, Cardinales, Episcopos, prælatos, & alios catholicos, Nauarræo adhærentes, suæ fidei & iurisiurandi, quo Ecclesiæ & patriæ deuincti sint, per literas admonendos esse censent, eosq; hortandos vt coniunctis secum consilijs & sententijs, rationes & media, iuuandæ salutis publicæ & pacis restituendæ inueniant. Hi respondent, etli non teneantur ad ducis Maiennæ postulationem quidquam subire, tamen Christianissimi Regis sui, clementissimam erga miseros subditos voluntatem suam declarantis concessu, se, nominato tempore & loco idoneo, cum cæteris de Republica & pace collocuturos esse. Cùm autem in tertium vsq; mensem durante collatione, confœderati hoc vnum præcipuè cognoscere cuperent, an Rex tandem discedere à religione hætenus professsa, & antecessorum suorum Religionem Catholicam Romanam amplecti velit: Rex, vtriusq; religionis ordines, cum principibus sanguinis & tota Nobilitate, ad 15. Iulij, se, in Carnutum oppi-

oppidum convocaturum ostendit : cùm intelligeret plerosq; Catholicos ordines suos , hactenus sibi coniunctissimos, ipso deserto, nouum inter se foedus aduersus Regem pangere. Cuius consilij causas ostendebant, quòd hactenus, dum de legitimatone & iure successione regni disceptatio fuisset, summa fide, vt subditos fideles decet, Regem iuissent. Nunc verò cùm hostes ipsius, confœderati, ipsum, Regem agnoscere non detrectent, modò Catholicam Religionem profiteatur : idq; Regia Maiestas recusarit ; non se diutius, propter singularem regis de religione opinionem, se suosq; liberos, ad extremam mendicitatem redigere, & regno extremam vastitatem attrahere velle. Interea rex docetur, Carolum comitem Mansfeldium, Hispani ducem, in Picardia, non habitacionis de pace institutæ ratione, hostiliter grassari. itaq; ipse etiam, assumptis 1500. Anglis, totidem Heluetijs, & 2000. Gallis, & 800. equitibus, Druidum urbem ex improuiso obsidet, & 12. Iunij occupat.

Sic abrupta collatione de pace, qui Parisijs erant confœderati, cum Hispani & pontificis legatis, de alterius Catholici regis electione tractant. Vbi Dux Feriæ, Hispani legatus, proposuit, vt infantem Hispaniæ Isabellam, Henrici Galliarum regis neptem, Reginam crearent, eiq; maritum, Ernestum archiducem Austriæ adiungerent. Ita Hispaniæ regem, conseruandæ religionis & republicæ Gallicæ causa, tantum pecuniæ & militum in Galliam missurum, vt facile funditus everti ac extirpari hæreticus rex Navarraus possit. Respondent ordines Galliarum confœderati, lege Salica non licere foeminam in regno Galliarum succedere; multò minus, extra Regnum natam

tam, Regnam creati. Quod si Hispanus, principem Gallicum, ex domo Lotharingica, ad coronam promoueri sinat: acquiescere se, vt Hispanam coniugem electus ducat. Ad hæc Hispani legatus, cum fœminas Lex Salica excludat, nolle se amplius infantis Hispanicæ vel Ernesto vel Gallico principi coniugio iungendæ mentionem facere. Sed quia diutius capite certo regnum carere non possit: Regem Hispaniæ, optimè cupientem Galliæ regno, eadem, quæ filia suæ, si regina designaretur, auxilia obtulerit, nihilominus præstiturum esse, modò, Ernestum Archiducem Austriæ regem renuncient. Tandem verò, mense Julio, Henricus Guisus, Henrici, ab rege Henrico III. ante quinquennium interfecti filius, 23. annorum iuuenis, à quibusdam confœderatis, Guisij inprimis, nominatus ac electus, eiq; Hispaniæ regis filia coniunx à legato promissa est. Sed intercedente senatu Parisiensi summo, quem Parlamentum nominant, & testante, non nisi Sanguinis regij principem, legitimè regem creati posse, nondum proclamatus, nec ipse titulo regio vti voluit. Interea Henricus Galliæ & Navarræ Rex, periculorum ingentium multitudine ac diuturnitate, & Nobilitatis, quæ hætenus summa fide ei adhæserat, verùm, nisi ad pontificiam religionem rediret, ab ipso defecturæ, precibus, querimonijs & pollicitationibus victus, tandem sibi passus est persuaderi, vt deserta, quam hætenus coluerat, reformata, quam nominant, religione, Pontificiæ se iterum adiungeret.

22. Iulij.

25. Iulij.

Quare Idibus Iulij Iuliani, die natali suo, nudis pedibus, cum candela, templum S. Dionysij ingressus, & Archiepiscopo Burgenfi confessus & ab hæresi absolutus,

solutus, Missam Pontificiam, magna solennitate ab archiepiscopo celebratam, rursus audire cœpit, ac priores concionatores ex aula remouit. Legatos etiam, ducem Niuersium & alios summos viros, ad Pontificem Romam ablegauit, qui Regiam conuersionem, & cum Ecclesia catholica Romana coniunctionem, approbari & confirmari petant, & obedientiam Pontifici promittant. Hæc summo cum populi Parisiensis, & Parlamenti, ac multorum principum catholicorum gaudio, sed frementibus ac indignantibus Hispanis & factioni illi addictis, excepta sunt. Induciæ etiam trium mensium, in Gallia, excluso ^{27. Iulij.} Sabauda sancitæ, intra quos, de perpetua & generali pace constituatur.

Exequiæ funeris Henrici III. regis, ante quadriennium à monacho in castris ad S. Clodoueam interfecti, die 2. Augusti, ad S. Dionysium, solennitate & ritibus in regio funere consuetis peractæ, & finitis sepulturæ ceremonijs, Henricus III. rex Galliæ & Nauarræ, publicè renunciatus est. Interea legatus Pontificius cum Hispanico, Parisijs, Henrici Guisij electionem, à cæteris ordinibus ratam haberi vrget, & Nauarreum toties relapsum, ac Episcopos, quibus in religione Catholica informandum se præbuerat, & archiepiscopum Burgensem, à quo absolutus erat, pariter ex Ecclesiæ Christianæ communione eiectos, diris deuouet. Romæ etiam, regis Hispaniæ agentes ac ministri, apud Pontificem summa contentione instant, vt legati sui excommunicationem, Parisijs latam, confirmet: nec ullos à Nauarreo Hypocrita legatos audiat, vel in urbem admittat, alioquin illis vna porta ingredientibus, se alterà egressuros esse minantur.

T V R C I C A

1592. **T**VR CÆ, superiori anno, duce Hazan Bassa Bosnensi, in CROATIAM ex Boscena progressi, oppidum & arcem Hraštovitz (vulgò VVihitz) quæ annos iam 150. orbis Christiani propugnaculum, in eo tractu aduersus Turcas, firmum & incolume manserat, ex improviso obsessam aliquandiu & deditam occuparunt. & nouam, in vicinia, ad Colapin fl. ex roboribus arborum, munitionem, Petriniam, vna cum ponte, paucis diebus excitantes, in amœniss. agrum, inter Colapin & Savum, longè lateq; rapinis & incendijs grassati sunt. Quæ insperata Turcarum impressio, ingentem terrorem, omnibus finitimis gentibus Austriacis & toti Germaniæ incussit. Has incursiones, vt à Thuropoliæ agris hæreditarijs, Thomas Erdeud, Slauoniæ Banus, auerteret, coniunctis secum Stiriacis & vicinorum copijs, è regione nouæ arcis Petriniae & pontis recens ædificati, consedit: cum ex Slauoniæ & Croatiæ regnis, nondum omnes, quæ expectabantur, copiae conuenissent. De his edoctus à proditore quodam, Bani Slauoniæ familiari, Hazan Bassa Bosnensis, per compendia viarum, nostros, nondum de numero & molitionibus hostium satis explorata omnia habentes, repentè aggressus, à tergo multitudine copiarum circumuentos profligauit, ac elapso equitatu, pedites inprimis Stiriacos immaniter concidit. & maioribus aliquot tormentis positus est. Inde per totam Thuropoliæ & populosissimas Savi & Colapis ripas, impunè vagatus, ad quatuor,

quatuor millia hominum, partim in deplorandam
seruitutem ac morte tristiore, abduxit, partim truci-
darii curauit. Sisseckum verò arcem, ad Colapis
& Savi confl. sitam, propter transitus in Stiriam,
Carinthiam & Carniolam opportunitatem, aliquoties
antea tantatam, omnino in suam redigere potesta-
tem cogitabat. Sed Nicolai Miccaci præfecti, &
militum præsidiariorum virtute ac fortitudine sin-
gulari, repulsus eo tempore, obsidionem Sissecki, a-
liquot oppugnationibus frustrâ susceptis, deserere
coactus est.

Præsentis verò anni æstate, HaZan Bassa, cum
aliquot Sangiacbegis, quorum nouem suo subiectos
imperio habet, reuersus, expugnata primùm Tre-
schina, Episcopi Zagabriensis castello, ad Sifegki
obsidionem, initio lunij redijt, & disiectis vi tor-
mentorum muris, & interdium noctuq; continuatis
oppugnationibus, actum iam de obsessorum salute
& planè desperatum erat, nisi Deus *κατὰ μνηστῆρος* o-
pem & salutem miseris tulisset. Etsi enim numero
longè inferiores Turcis, Cæsareonorum copiæ, ex
vicinis gentibus Austriacis collectæ, erant; quas
Slauoniæ Banus, & Auerspergius, & Rupertus
Ekenberger, & alij viri nobiles, inter quos Melchi-
or Rederus, baro Silesius, literis & armis clarus,
ducebant: tamen cum in extremas angustias obsessi
peruenissent, singulari magnitudine animi, constan-
tia & virtute inuicta, hi duces, adductis in viciniam
Sissecki copijs, TVRcas, diuisa, trans & eis Colapin
ponte iunctum, castra habentes, adorti; eos, qui à
citeriori ripa sibi occurrebant, profligarunt, & pen-
eis parte occupata & disiecta, præcluso ad suos re-

1593.

12. Iulij.
Iuliani.

ditu, ad flumen propulerunt. cui se committere, & in aquis suffocari, quàm in victorum manus venire maluerunt. Cæteri, qui trans fl. hæserant, clade suorum consternati, fuga dilapsi sunt. Perierunt flumine obruti, Hazan Bassa Bosnensis ipse, cum fratre; & Sinam Begus seu præses Clissæ, ex sorore Amurathis Turcici Imp. natus, & Memy begus seu præses Hertzegouinæ, quæ superioris Bosniæ, olim ducatus, metropolis fuit. cùm inferioris Bosniæ, olim Regni, metropolis Bagnia Luca, Bassæ hoc tempore sedes, fuisset.

Tantoperè autem Amurathes Turcarum IMP. hac suorum clade, in qua sororis filius, & ipse Bassa Bosnensis, & alij fortes viri cæsi, vel in Colapi, submersi fuissent; exacerbatus est, vt accedentibus etiã supplicibus sororis suæ, vindictam miserabili voce ac gestu de interfecto filio poscentis, lamentationibus, & Sinami Bassæ cohortatione, & acceptæ cladis ignominia & dolore ardens, statim Bellum aduersus Rodolphum Cæsarem, apertum decerneret; & Mahmetem, Bassam Temesvvariensem, Bosse-næ & Croatia vicinæ, cum mandatis belli persequendi, præficeret; & Beglerbegum Græciæ ipsi auxilio cum exercitu proficisci; Budensem verò Bassam & cæteros, arces limitaneas præsidijs munire, & collectum militem in castra educere, & Sinami Bassæ Vefirij, in Vngariam suo loco profecturi, imperio parère iuberet. Itaq; nostri, cùm post profligatos ad Siseccum Turcas, duorum ferè mensum respirandi spacio ijs concessio; tandem serò Petriniam castellum, Hrastovvicæ vicinum, ad Colapin fl. superiori anno à Turcis munitum, obsidere cœpissent; cognito

cognito post paucos dies ab exploratoribus & captiuis, Beglerbegi Græciæ aduentu, retrocesserunt.

Hæc fama renouati à Turcis belli, & Constantinopoli ac Budæ publicati cum ad Cæsarem Rodolphum pervenisset: deposita tandem cunctatione, hæcenus vsurpata, mittere Constantinopolin, Pensionem annuam, intra biennium non solutam, instituit, quæ Calendis Augusti Viennâ Gomorrham versus deportata est. Sed mox adferebatur, nouos exercitus Turcicos, Sinamo Bassa Imperatore, in Vngariam Budæ vicinam penetrare, & Græciæ Beglerbegi, quæ antecesserant in Croatiam, copias, non Petriniam solum obsidione liberatam conseruasse, verum etiam, Sissecum denuo obsessum, vi expugnasse, & præfidiarios omnes, ac in his 200. Germanos, immaniter trucidatos & concisos, in Colapin præterlabentem abiecisse; postea Sauum transgressas, ad Sagabriam vsq;, direptionibus ac incendijs grafsatas, circiter 5000. hominum in tristissimam seruitutem abduxisse: & Sagabriæ obsidione singulis momentis expectari. Aliæ igitur rationes, auertendi hostis ineunda, & Bellicæ defensionis consilia, acriore animo suscipienda fuerunt.

Quotidie enim, Pegasarijs cursibus, Pragam, honestissimi viri, Thomas Nadaustus Vngarorum procerum Dux fortis, Præfectus Iaurini comes ab Hardecc, Stirij, Austriaci & alij, conuolantes, magnitudinem periculi à Turcis imminentis exaggerabant, & nisi celerrimis auxilijs ab Imp. iuuantur, extrema se necessitate, ad deditiorem Turcis faciendam, inuitabiliter coactum iri, querebantur. Imperator itaq;, Quintumquenq;, ex Austria & Mo-

B ; rauiâ,

7. Aug.

24. Aug.

Mense
Septem.


raula ; nomen militiae Turcicae dare iubet. & legatos, ad electores Imperij, de comitijs mense Ianuario Ratisbonae celebrandis, & Turcica immanitate, coniunctis Romani Imperij auxilijs, a reliqua Germania & orbe Christiano depellenda, mittit. & maiores equitum peditumque copias ad verum futurum conducit : cum Sinamus Balsa, in locis Budae & Rabae interiectis, Vesprinio iam expugnato, hibernaturus, omnino Viennam se profecturum constanter minaretur.

R E V A L I A

27. Augusti.


ARX NERVENSIS pulvere pyrio tota fere funditus eversa est 6. Augusti, circiter horam duodecimam meridianam. Quod malum ita accidit. Scriba quidam, a Regni Sueciae consiliarijs. Neruam missus fuit, exploratum, quot tormenta bellica, & quantum pulveris nitrati ibi in promptu esset, ut Regi iam aduenturo & coronando, id quoque constaret. Is cum Neruam appulisset, Capitaneum Neruensium domi non inueniebat, qui nobilis cuiusdam Sueci splendidis nuptijs Reualiae celebratis interfuit. Capitaneo aliquandiu Reualiae commorante, praefectus tormentorum, scribae iterum in Sueciam festinanti, ante Capitanei aduentum, omnem apparatus bellicum monstrare cogebatur. Cum in secretum conclauae, ubi pulveris nitrati magna copia, quam fateri non audent, seruabatur, venissent : scriba adhuc inter pocula versabatur, qui mox sequi debebat, pulvis autem interea, ante scribae aduentum, omnis incensus,


ensus, maximam partem muri, valli, & propugnaculorum, cum omnibus machinis & tormentis funditus euerit, & omnia stabula, pulcherrima ædificia & habitationes diruit, & 77. homines momento perdidit, quo horribili & inopinato motu & fragore, omnes Neruensium fenestræ & fornaces sunt concussæ & fractæ, & omnes Neruenses adeò sunt tremefacti & perturbati, vt totum mundum iam perire putarent. N. N. pastor Neruensis mihi narrauit, aliquot trabes & lapides arci Iuuanogrodia quocq; immisos fuisse, quibus aliquot Ruteni læsi fuerint. Capitaneus Neruam reuersus, nullam habitationem in Arce integram, sed omnes dirutas & euersas reperit, Igitur in vrbe iam habitare cogitur. hoc quidem mirum & ominosum omnibus videtur, quod puluis incensus, non solum ædificia proxima, sed omnia per totam arcem procul disita destruxerit. Incertum adhuc est, propter interitum omnium, qui hoc negotio occupati fuerunt, quomodo puluis ille lethalis incensus fuerit. Senator quidam Reualiensis mihi retulit, quod clauus ferreus, quo vas puluere plenum munitum fuerat, nimio securis ictu scintillam ignis in puluerem ædidisset. Alij referunt, præfectum tormentorum laternam candelis plenam in manibus habuisse, vnde hoc malum extisset. Moschus iam gloriatur, si induciæ non confirmatæ essent, quod magna commoditas Neruam occupandi illi iam data fuisset. Scriba, qui Neruam missus fuerat, adhuc incolumis est, & Reualis captiuus tenetur.





1772
12





OFFICE OF THE ATTORNEY GENERAL

STATE OF NEW YORK

IN SENATE

January 29, 1966

REPORT OF THE ATTORNEY GENERAL

ON THE PROCEEDINGS OF THE

COMMISSION ON THE ADMINISTRATION OF

THE COURTS

FOR THE YEAR 1965

ALBANY: THE UNIVERSITY OF THE STATE OF NEW YORK

BOOKS AND BUREAU OF PRINTING

1966

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

